




Ha 179







99
I. N. J.
EPISTOLA

AD
VIRVM

INTER MAXIMOS SVMMVM
INTER SVMMOS ERVDITISSIMVM
INTER ERVDITISSIMOS CELEBERRIMVM
ILLVSTREM AC EXCELLENTISSIMVM

DN. GODOFREDVM
GVILIELMVM
LEIBNITIVM

SECVLII

PATRIÆ AVLÆ LITERARVM
INSIGNE LV MEN
QVA SIMVL

PRODR OMVM

MOX SECVTVRI TRACTATVS
DE

PROBABILITATE MENSVRATA

HOC EST

PRIMAS GRADVVM PROBABILITATIS LINEAS
APHORISMIS PHILOSOPHICIS DESCRIPTAS

DAT DICAT DEDICAT

HVJVS ÆTERNATVRI NOMINIS

PERPETVVS CVL TOR

M. JOANNES MICHAEL HEINECCIVS

IN IMPERIALI AD GOSAM CIVITATE

VERBI DIVINI MINISTER.

STANNO DVNCKERIANO.

EPISTOLA

AD

FRANCIS





VIR SUMME,

Utrum difficilius aut majus
 esset, præsentem hanc mate-
 riam pro dignitate tractare, an quo-
 dammodo pertractatam Tuis acutissimis
 oculis subjicere, diu multumque dubitavi.
 Nam & suscipere tantam rem, in qua vel do-
 ctissimi forte homines inveniunt, quo suum
 exercent ingenium, non omnino meum
 A vide.

videbatur esse: & Te ejus arbitrum constitue-
 re, vix arbitrabar in illum cadere, qui veretur
 reprehensionem doctorum & prudentium.
 Omnis tamen deinde scrupulus confedit, ex
 quo Tibi meam sententiam probari, literis
 amantissime scriptis edoctus vidi. Annus
 enim jam secundus circumagitur, ex quo mihi
 in alma Julia vivere, ibique Facultate illustri
 indulgente, non solum plus quam vicies præsi-
 dem in disputando agere, verum etiam quam
 plurimis varias philosophicas scientias propi-
 nare contigit. Ibi igitur cum in studiis meis,
 ceu fas est, assidue habitarem, venit in mentem,
 in materiam Logicam inquirere, meo, quæ
 tunc agebam, vitæ genere non indignam. Est
 illa, quam vides, DE GRADIBUS PROBA-
 BILITATIS; in qua cudenda, cum meam sa-
 tis curtam supellectilem excuterem, arbitratus
 sum, id quod res est, non posse me auspicius
 in ista perficienda progredi, quam si TIBI,
 VIR SUMME, ad quem, ceu ad Oraculum
 quod.

quoddam commune, pleriq; nunc confluunt, consilium meum aperirem, quaque illud ratione quam commodissime exequi possem, expiscarer. Neque fefellit me ista opinio. Literis enim quam amantissimis non modo me informatum ivisti, verum etiam ad illud suscipiendum cohortatus es

*Verbis, quæ timidis quoque possent
addere mentem.*

Quæ ita cum sint, aggressus sum opellam non tam spe perficiundi, quam experiundi voluntate. Et tamen, annuente DEO, eo usq; progressus sum, ut illius PRODRUMUM illustri^æ facultati ea, qua par est, exhibuerim modestia, publice omnino defensusus, nisi me summum, quod omnia moderatur, Numen abire ista statione, atque aliam subire jussisset provinciam. Frustraneus erat hic qualiscunque meus conatus, nisi dissertationem illam meam à DOCTISSIMO DOMINO CÖRBERO, illustris academiae Juliæ ornamento,

A

Gos-

Goslariæ cum esset, recepissẽm. Hæc igitur jam ad TE veluti postliminio redit, cum è Tuo divino ingenio maxime prodierit. Nec aliud optavi lucubratiunculæ huic patrocinium, quam TUUM, cujus laudes non modo secundus ministrat rumor, verum omnes etiam admirantur, atque ex TE, quasi ex perfectissima aliqua Apellis tabula vident, quid sibi aliisque ad summam perfectionem laudum deesset. Parvum est hoc munusculum, fateor; sed tamen & summis olim regibus aquâ plena manus magis nonnunquam placuit, quam pretiosissima, quæ alii attulerunt, dona. Prodrum est, quem, si DEUS vitam viresque conceiserit, integer tractatus sequetur, qui se per omnes philosophiæ ut & superiorum facultatum partes diffundet: dummodo benevole, vultuque TIBI proprio, hoc est, benigno, hunc PRODRUMUM, licet arido modo pumice expolitum, à Te excipi cognovero. In quo si quid à janua aberravi, benevole, ut spero, indicabis.

Super-

SUpercilioſi hominis vox eſt illa *Adami Conzenii de ſe-
 cret. ſociet. Jeſ. p. m. 161. Secuti regulas ſuas non er-
 rant, quia tamen homines ſunt, aliquando; ſed quia obe-
 dientiæ & regularum amantes, raro; nec in magnis ab-
 errant.* Recte loquitur *Conzenius*; ſi errare idem ſit,
 ac verum dicere. Certe regulas ſuas ſecuti non dicunt
 verum, quia tamen homines ſunt, aliquando; ſed quia
 obedientiæ & regularum amantes, raro; nec in magnis
 verum dicunt. Et ſane de erroribus Jeſuitarum pro-
 ſtant libri integri, quibus oſenſum eſt, id hominum ge-
 nus non Theologiam modo, ſed & omnem morum
 philoſophiam inſigniter contaminaffe. De æquivoca-
 tionibus eorum nihil dicam, quippe jure exploſis à
Balthaſare Meiſnero L. de æquivocationibus Jeſuiticis,
& Henrico Uffelmanno L. de jure, quo homo homini ob-
ligatur in ſermone. Nec eorundem probabilitatem
 moralem commemorabo, quam *Ludovicus Montaltius*
in literis provincialibus de morali & politica Jeſuita-
rum diſciplina, Vir doctiſſimus, qui ſub *Wilhelmi Wend-*
rokii nomine latet, atque à *Bernhardo Stubrokio* im-
 pugnatus eſt, nec non *Samuel Rachelius* in examine
probabilitatis, quam Jeſuitæ Theologiæ ſuæ moraliſ fun-
damentum faciunt, ivere ſubrutum. Illud autem
 mihi nunc declarandum ſumo, probabilitatis, quam
 Jeſuitæ turpiter perverterunt, uſum in omni doctrina
 quam latiffime patere, ejuſque multos dari gradus,
 quibus fiat, ut aſſenſum vel debilem vel fortiorem gi-
 gnat. Præſcripſimus autem chartæ noſtræ has voces:



PRODROMUS PROBABILITATIS MENSURATÆ, declaraturi, non esse hanc tractationem hujusmodi, quæ gradus probabilitatis omnes, ut ita dicam, transcendat; sed à primo tantum limine gustet, ac veluti significet ipsius Tractationis mox secuturæ adventum ac conditionem.

I. *Probabile est propositio, quæ vel omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his rursus vel omnibus, vel plerisque, vel maxime celebribus, quorum sapientia maxime illustris est, ac omnibus perspecta videtur, probatur, nec est παράδοξος, ut diserte monet Aristoteles I. Topic. I. & IO. Probabilitas autem erit habitudo prædicati & subjecti in propositione, vi cujus propositio non παράδοξος ad sui assensum, non plane firmum, notabilem tamen, movet aut omnium, aut plerorumque, aut sapientiorum intellectum, ut intellectus cum quadam animi formidine judicet, prædicatum inesse subjecto, si propositio sit affirmans, vel non inesse, sit si negans.*

II. Ex quibus consequitur (1.) Non res, sed propositiones esse probabiles (2.) probabilitatem non esse in intellectu, nisi insit propositio. (3.) Propositionem nunquam probabilem esse, si spectetur absolute, citra relationem ad intellectum, (4.) Fundamentum adæquatum idque propinquum probabilitatis non esse res solas, nec solam propositionem, nec solum intellectum, sed hæc omnia simul & junctim sumta. (5.) Nullam opinionem esse probabilem, nisi ejus contradictoria sit etiam probabilis. Nam si illa falsitatem aut veritatem certam ac evidentem haberet, inde certo liqueret quid esset de opinione opposita sentiendum.

III. Certo

vel quatenus est ἔνδοξος, nec ἔνδοξος erit, quia vel quatenus est vera, sed utrumque ipsi propter alias & diversas attribuetur causas, eritque nihilominus aliud quidpiam verum, aliud autem ἔνδοξον, quamvis uni eisdemque propositioni aliquando per accidens insint. Ex quibus, per ἔνδοξον verum significari aut intelligi non posse, patet.

IV. Probabile ad Dialecticam; apparenter probabile ad Sophisticen spectat, quæ quidem differunt in eo, quod vere probabile non ita facile queat dissolvi, apparenter vero probabile etiam ab iis, qui parum vident, videri tamen possit, cum apertam nimis falsitatem habeat.

V. Dari probabilitatis gradus, quotusquisque negabit? Quæ enim consentientibus mortalium judiciis recepta sunt, seu, quæ simpliciter omnibus & rudibus & sapientibus, atque his & omnibus & sapientissimis vera videntur esse, ea sine dubio omnium maxime ἔνδοξα sunt, & longe probabiliora, quam illa, quæ pauci sibi persuaserunt. Exemplo res erit clarior: *DEum esse colendum: Quemlibet sibi esse proximum*; hoc nemo negabit facile, nisi qui omnibus hominibus bellum indiecre audeat. Omnes enim jamdudum in hanc sententiam conjurarunt. Sic etiam fortiozem assensum præbemus artifici in sua arte, quam illi, qui artem ne per somnum quidem attigit. Porro si quis dicat, decem milites prostrigasse trecentos, ea est hujus propositionis habitudo, ut intellectus meus prædicatum subjecto inesse neget. Si dicas, decem fortes vicisse quadraginta, id probabile erit. At si inquiras, decem fortissimos viginti hostes delevisse, id probabilius erit; id est, ea erit subjecti & prædicati habitudo, ut intellectus meus ea componat, seu assentiatur propositioni illi; etsi ille assensus non sit omnium firmissimus, ac forte oppositi formidine junctus. Neque tamen requiritur ad probabilitatem, si ab omni

omnimoda veritate abesse debeat, ut actualis formido oppositi adfit; sed sufficit, si vel adfuerit, vel adesse possit. Hinc Scholasticorum Doctorum mihi magnopere probatur distinctio inter formidinem *radicalem* seu *aptitudinalem* & *actualem*. Hæc quid sit, constat. Illam vocant, quia medius terminus, quo nititur opinio, aut objectum opinionis propter suam contingentiam ita sint comparata, ut contradictionem haud implicet, subesse illis falsum.

VI. Ex quo luce ipsa clarius est, omnem probabilitatem requirere discursum. Quando enim propositio quædam intellectui probabilis videtur, isque prædicatum cum subiecto sive conjungit, sive ab eodem divellit, id facit propter rationem mediumque terminum, quodocunque versatur in probabilitate. Si enim adsentiretur sine medio termino, tunc tanta esset evidentia, ut discursu non sit opus. Atqui hoc non fit, nisi in primis principiis: Hæc enim per evidentiam suam in sui assensum trahunt humanam mentem, adeo, ut helleboro ille indigere mihi videatur, qui sine medio termino assentiri nollit huic propositioni: *Totum majus est qualitate sui comparate*. Ast in probabilitate adesse oportet medium terminum, qui suadeat, non esse absurdum, credere, propositionem esse veram, vel falsam. Hic profecto nisi accedat, non mihi possum persuadere, quenquam, licet ita simulet, revera assentiri, ut potius cum Tetentiano illo precario aliquid credat. Quæsitus enim ille:

Vintibi me istuc, etsi incredibile est, credere?

Respondet: *credo. Act. 4. sc. 1. Heaut*

VII. Sed ut de probabilitatis gradibus paulo liquidius constet, rem omnem breviter pro instituti sc. ratione expediemus.

IX. Si nostram mentem contemplemur, eam ita comparatam deprehendimus, ut nonnullis assentiatur necessariis

B

Hujus

Hujus rei quilibet potest intra semet ipsum experimentum capere, dum vel hanc propositionem audit: *bis duo sunt quatuor*. Non possum abs me ipso, impetrare, ut dissentiam, vel saltem non assentiar. Nam inter ideas numeri binarii & quaternarii tantam tamque arctam sive relationem, sive connexionem mens mea deprehendit, ut eas statim pro una eademque re habeat. Atque in his omnium maxime relucet illud, quod dicitur, *intellectum esse potentiam necessariam*. Non potest sane in his talibus intellectui voluntas dissentium imperare, ac si imperet, imperium istud haud exequetur intellectus, quia id non potest per essentiam suam, rei que cognitæ evidentiam. Quippe cum mens nostra ut oculus sese habeat, quæ, positis omnibus ad videndum requisitis, non potest non videre. Sed *Joannis Clerici Opp. Philos. Tom. 1. p. 94.* me de ea re plura dicere non patiuntur, actum enim agere viderer.

IX. Porro sunt alia, quæ citra discursum intelligi quidem possunt, sed assensum nostrum nequaquam extorquent, etsi sunt evidentia, hoc est, ita comparata, ut, quid sibi velint, primo statim intuitu appareat. Dicat quis, *duo esse quinque*. Hic nullius assensum impetrabit, imo isthæc propositio nulla ratione probabilis reddi poterit, etsi omnem summum argumentorum machinam adhibeas; Evidens autem est seu evidenter cognita: norunt enim omnes quid sit *bis*, quid *quinque*, atque adeo simplici ejus propositionis apprehensione gaudent; neque tamen assentiuntur propositioni etiam evidenti, quippe non evidenter veræ, imo evidentissime falsæ.

X. Quare *Joannem Clericum* l. 5. p. 95. secus, quam res ipsa postulat, scripsisse arbitror: *Si evidentia reperiretur in propositionibus falsis, necessario in errorem conjiceremur, quandoquidem necessario evidentie adsentimur. Hinc sequeretur DEUM, qui nos fecit, esse errorum nostrorum auctorem, quandoquidem in errorem*



nos ineluctabiliter impelleret. At facere, ut fallamur, non est nisi maleficæ naturæ, quod de DEO suspicari nefas. Atque huc redit etiam responsio ante adhibita; nempe si quis quærat, quare fallere maleficæ esse naturæ putemus, aut quapropter id in DEUM cadere non credamus? aliud ut sentiamus, frustra à nobis impetrare nitamur: &c. &c. Sane si hæc Clerici ratiocinatio in recessu haberet quicquam, sequeretur, nullam propositionem, cui assensum denegamus, evidentem esse, atque à nobis evidenter cognosci. Ast quid absurdius est in philosophia, quam rejicere, quod non intelligas, quodque tibi sit inevidens. Clericus certe ideo rejicit dissentientium à se opiniones, quod eas evidenter cognoscit, quum, quod non intelligit, rejicere haud possit. Si hoc falsum est, quod scribit, evidentiam reperiri in propositionibus falsis.

XI. Tandem sunt nonnulla, quibus ad assensum nemo non denegat, nisi interventu discursus *mediique*, quem vocant, *termini*. Voco autem medium terminum *rationem, que* *stetur*, *prædicatum propositionis subjecto inesse, vel non inesse*. Jam si *medius terminus* talis sit, qui evincat, prædicatum subjecto essentialiter vel ita inesse, ut extra illud esse non possit, salva subjecti essentia & proprietatibus, oritur in mente cognoscentis *scientia*, quam voco *cognitionem certam, omnemque oppositi formidinem simpliciter excludentem*. Ast, si *medius terminus* non ostendat, prædicatum vere inesse vel non inesse; sed solummodo id ostendere videatur: tunc oritur *cognitio fallax*, Sophisticæ ortum debens ac verisimilitudini. Quod si autem *medius terminus* doceat quidem, prædicatum subjecto, *eruditionem Petro*, vere inesse vel non inesse, neque tamen ad assensum certum,

immutum ac veluti quadratum, quod si, inquam talis est *medius terminus*, tunc oritur *probabilis* solummodo *cognitio*, probabilitate propositionis innixa.

XII. Quemadmodum igitur *medii termini* variant, ita variant quoque *gradus probabilitatis*. Unde si propositionis tuæ *medium terminum* adferas, qui arctam, neque tamen omnino necessariam subjecti cum prædicato connexionem ostendat, propullulabit *probabilitas in gradu fere summo*. Si autem popularis ac parum firmus sit *medius terminus*, rursus propositio probabilis reddetur, sed ita, ut in inferiori gradu cogatur subsistere.

XIII. Debiliorem illum probabilitatis gradum, ut & reliquos, animadvertere licet non historiam modo evoluenti, verum etiam per vitam communem oculos circumferenti. Sic, si quis factum commemoret, quod incredibile non sit, sed ab eo referatur, de quo, quis sit, ater an albus? tibi non constet, debilis fit assensus, tenuis probabilitas, ob infirmum medium terminum, qui est *narratio hominis ignoti*, quam melioris commatis autores *famam sine autore* appelliant. Ubi autem paulo familiarior oculis animisque nostris est, qui rem sive scripto sive voce refert: tunc & probabilitas paulo major est. Etsi enim narrationem nonnunquam mendacianculis pictam certo scimus, probabilius tamen est, hominem, qui novit, se à me cognosci, aut omnino non mentiri, aut certe non æque temere ausurum, atque is, quem plane ignoramus, quippe non adeo impune nec sine famæ periculo fallere poterat. Quando autem is, qui historiam tradit, maximæ autoritatis est, valde verosimile est, ipsum nec hic quidem voluisse mentiri, vel à veritate deflectere, qui multis jam documentis comprobaverit, non sibi mendacia placere. Hinc historici magis omnino cum *Thucydide* sentiunt, quam cum
Hero-

Herodoto, cum hujus autoritas non æque magna sit, ac il-
 lius, idque ob judicium *Ciceronis*, qui L. I. de Legg. eum
 quidem patrem historiae, sed innumerabiles apud eum
 fabulas esse dicit; nec minus *Plutarchi*, cujus integer ex-
 tat liber περι κακωνθειας Ἡρωδοτου. Inde etiam fit, ut magis ad-
 sentiamur scripto, de quo constat, quod vere sit autoris, cu-
 jus vel nomen præfert, vel esse dicitur. Quæ quidem res
Cl. Muretum movit, ut in scripta Platonis spuria diligen-
 tissime inquireret, erudita oratione, quæ est in secundo volu-
 mine quarta. Sed & *Köberus* B. M. hanc eruditorum frau-
 dem integro tractatu detexit. Nec prætereunda est aurea
 MAGNIFICI VIRI, JOANNIS ANDREÆ SCHMIDII
 dissertatio, quam *Pseudo-novum testamentum* inscripsit,
 quâq; ne sacras quidem literas ab hoc impio dolo immunes
 mansisse diserte ivit probatum. Nisi autem unde ejusmodi scri-
 ptum natum sit, satis exploratum habeas, non inest ei tanta
 probabilitas. Dependet enim effectus autoris in causando assensu
 a dependentia, non latente, sed cognita, ceu loquuntur *Scho-
 lastici*. Nescio, an etiam paulo infirmior probabilitas illos
 libros sequatur, qui ex Atlantum gente prodierunt, hoc est,
Anonymorum. De iis tamen qui plura legere satagit, ad
 fatiem usque hac de re differentes legat *Placcium de Au-
 toribus pseudonymis & anonymis*, nec non *Celeberrim-
 um Morhoffium in Polyhistore*. Ea autem, quæ autori
 autoritatem, hoc est dignitatem, qua assensu dignus est, con-
 ciliant, multa sunt, aut omnia aut sigillatim ad autoritatem
 requisita. *Cicero in Topicis c. 40* pleraq;, nisi fallor, his
 verbis enumerat: *Naturæ autoritas in virtutibus inest
 maxime. In tempore autem multa sunt, quæ afferunt au-
 toritatem, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, ne-
 cessitas,*



cessitas, concursio etiam nonnunquam rerum fortuitarum. Nam & ingeniosos, & opulentos, & etatis spatium probatos dignos, quibus credatur, putant; non recte fortasse, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt, & qui judicant, & qui existimant. Qui enim his in rebus, quas dixi, excellent, ipsa virtute videntur excellere.

XIV. Magnus quoque probabilitatis gradus in scriptis, historicis maxime & philosophicis est, si frequens adsit testimonium numerus, quem *nubem testimonium* vocant. Equidem hic multa observanda fatendaque sunt. *Fateor* igitur, in quaestionibus theoreticis, vel etiam juridicis, magnum saepe, nunquam vero immotum, omnemque, oppositi formidinem exclusurum assensum gignere testimonium multitudinem. Alioqui sequeretur viam lacteam esse meteoron, quod omnes veteres ita crediderunt. *Observandum secundo*, non temere fidem abrogandam testibus multis, rerum expertis, etiam in philosophia theoretica. Non enim quisquam negabit, oculos multos, mentes multas, acutas praecipue plus videre quam mentem, quam oculum. Hoc susque deque plerumque habent, qui in philosophia nimium sibi fidunt, atque a majoribus plane recedunt, ut quasi ex se nati videantur. Quod genus hominum *Livius* mihi videtur taxare, in praefatione ipsa operis, ubi: *Novi semper*, inquit, *scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos, se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Fatendum porro est*, multos testes debitis ad cognoscendum requisitis destitutos in testificando tantum probabilitatis gradum non causare, quantum causat unus, rem penitus introspectans. Ita, si in mari constitutus, mille sociis stipatus, dicasque mihi, videre te esse longinquo insulas Fortunatas, in insulis prata, in pratis armenta,
in

in his cornua, idemque omnes affirmant socii; non tamen æque probabilis erit isthæc tua tuorumque sociorum assertio, atque unius nautæ, qui ex loco, ubi tu tibi insulas istas videbaris videre, rediens, quæsitusque, quid rerum contingat in insulis? respondeat, non esse ibi insulas, sed fumum, quem navigio suo transferit, quique è longinquo discolor videatur, ac insulas repræsentet. Hoc infallibiliter obtinet in iis, quæ sensu dijudicanda sunt.

XV. Is igitur testis magnam probabilitatem assertis vindicat, qui in re, quam tradit, difficulter falli potest, quique summa animi contentione mente sana, magna deliberatione, nec in transitu testatur, si præsens fuit, si rei exitum præstolatus est, & si quæ alia sunt, alia occasione à nobis & fufius & accuratius proponenda. E contrario si quem testem, (sub quo nomine etiam historicos, quippe testes veritatis concipio,) animi vires reliquerunt, aut si cum morbo eo tempore conflictatus est, paulo minorem ille fidem meretur. Hinc est, quod *Thucydidis Liber. VIII.* licet nemo eruditorum eum Thucydidis esse neget, minorem tamen probabilitatem habeat, quam reliqui, *quippe à Thucydide jam egrotante scriptus*, ut censet *Vossius L. I. c. 4. de Historicis Græcorum.*

XVI. Si etiam testis vi, carcere, tormentis, fame, siti, exilio eo haud possit adduci, ut, quod affirmaverat, neget, aut, affirmet, quod negaverat, maxime probabile est, illum non mentiri. Hæc autem potissimum observanda sunt, si quæstio facti sit. Ubi autem propter theses quasdam & veritatem, quam nominant, speculabilem, quisquam hæc omnia patitur, nec tamen ab assertione deflectit, thesis improbabilis non ideo fit probabilis, propter obstinationem. Quod sane *Lucii* (seu ut ipse per fastû se appellavit, *Julii Cesaris*) *Vanini* exemplo satis planum est. Si autem multi hæc patientur ob
veri-

veritatem speculabilem, oritur omnino non spernenda probabilitas, præsertim si illi, qui assertiones tuentur, non sint ejus acuminis, ut rem satis accurate introspicere, ejusque scientiam sibi acquirere potuerint. Atque ita omnino multum probabile erat religionem Christianam veram esse, cum scriberet *Minutius Felix in Octavio p. 399 quod ex nostris non dextram solum, sed totum corpus uri, cremari, sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti præsertim haberent in sua potestate. Viros cum Mucio aut Regulo comparo, pueri & muliercule nostræ cruces & tormenta, feras & omnia suppliciorum terricula inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, ò miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit pœnam subire, aut tormenta sine DEO sustinere.* Facit quoque huc locus Paulinus Philipp. I. v. 14. *Καὶ πλείονας τῶν ἀδελφῶν ἐν κυρίῳ πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μὴ περισσοτέρας τολμᾶν ἀφόβως τὸν λόγον λαλεῖν.* Cætera in humanis testimoniis criteria veritatis ac probabilitatis hæc ponuntur à nonnullis scriptoribus: (1.) *Si qui scribunt, sint viri fide digni,* (2.) *Si actionibus, quas scriptis mandarunt, interfuerint.* (3.) *Si neq; necessitate, neq; mercede inducti fuerint, ut aliter, quam accidisset, scriberent,* (4.) *Si de iisdem rebus eodem modo aut omnes, aut omnino plurimi, ique præstantiores, scriberent.* *Arrian. in præfat. l. 1. de expeditione Alex. Josephus contra Apionem. Vid. Synopsis purioris Theolog. doctorum Leidens. disp. 2. thes. 15.* Aetas tandem, qua vixit atq; conscripsit historiam suam autor, plus fidei addit; sin scilicet isti proximior, qua, quæ recensentur, sunt gesta. Neq; minus patria consideranda, num e. g. res Anglicæ ab Anglo, an à Gallo; Gallicæ utrum à Germano an ab Hispano;

spano; Germanicæ an à Germano, an à Polono recenseantur? Hinc *Nepos c. 9. Vit. Themistocl.* Scio, inquit, *plerosque ita scripsisse, Themistoclem, Xerxe regnante, in Asiam transisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo, quod etate proximus erat; qui illorum temporum historiam reliquerunt, & ejusdem civitatis fuit.* Nihil tamen magis probabilitatem auctoris suspectam facere solet, quam *diversitas religionis*, si nempe Lutheranorum res à Pontificio; Pontificiorum à Reformato &c. memoriae prodantur. Nulli tamen, quam Pontificio, familiarius est, in historia, præsertim Evangelicorum, mentiri. Sed de his & aliis sectariis in ipso opere & meliore ordine, & uberiore fortasse copia agemus. Interea Lectorem plura hac de re scire cupientem relegamus ad eruditissimum scriptum Consummatissimi Jcti D. *EISENHARDT de Fide historica.*

XVII. Jam ordine ad gradus philosophicarum & superiorum etiam disciplinarum deferimur, quas omnes varios cognoscibilium suorum gradus agnoscere, nemo erit, qui neget. *Uta Physicam* in primo nunc frontispicio ponam, omnes fatebuntur mecum, eam ab inferioribus ad superiora ascendere, usque tandem, ubi ad summum ventum, jam non amplius probabilitas, verum ipsa veritas appareat, nostrumque alliciat assensum. Licet probabilitates physicæ adeo caduco sæpe nitantur fulcro, ut interdum *Conjecturis*, quam *verisimilitudini* videantur similliores. Qua re factum esse arbitror, ut jam inde à multis temporibus philosophis *Naturalium doctrina Conjecturalis* audiverit. Primum, quo physicus utitur, criterium *in sensu seu sensatione*, quam vocant, consistit. Quæ quidem, si in debitis suis requisitis ponatur, fallax esse non potest. Attamen cum non omnia semper requisita adsint, & physicus nihilominus rudis audire sæpe

erubescat; certe non potest effugere, quin ob deficientem sensationis conditionem minus pondus illius probabilitas habeat. E. g. Quam debili probabilitate nititur physicus, si quid asserit de re, ubi intervallum inter oculum meum & objectum cognoscibile majus est, quam ut armis sensoriis cognosci possit?

XVIII. Si vero satis recte sese habeat sensualis observatio, ingenerat animo nostro assensum suo valore æstumandum. Ubi & hoc notandum esse puto, quod supra notatus *Joannes Clericus*, l. c. cap. 8. adnotavit, quod in ipsis quoque sensibus certa reperiatur distinctio: *Certis enim inquit, quibusdam sensibus magis credimus, quam aliis, ut visui magis quam auditui; quia magis afficimur iis, quæ ope oculorum nobis innotescunt, quam quæ per aures subeunt. Sic quando plures sensus concurrerunt in re deprehendenda, ut, cum vidimus, tetigimus, audivimus, (addi potuisset, quod in physicis sæpe etiam obtineat odoratus & gustus,) tunc prorsus convincimur, nec ullatenus nobis dubitare licet, utrum aliquid ante oculos nostros versatum fuerit.*

XIX. Quando igitur ex *sensatione propria* proveniens verisimilitudo pondere suo non destituitur, conferenda jam erit cum *sensatione aliena*, quam in physicis itidem obtinere scimus. Sed certe superat ea hanc nimium quantum, cum nobismet ipsis nostrisque sensibus, de quorum re-cta constitutione certi sumus, semper magis, quam aliis aliorumque sensibus credamus. Quid? quod & ipsa aliena sensualis observatio ad unam omnium non æquali est æstumanda valore. Si enim compertum habemus, hominem, in quem cadit sensatio, vel novitatis vel gloriæ cupidum esse, vel præconceptis opinionibus oneratum atque corruptum; parum isti

isti fidei habebimus: plus verò ei, de quo constat, alienus quod sit á novitatis studio & opinionibus præconceptis. Ille enim dum autoritatem anteponit veritati, ne vitiosa quidem, quod ajunt, nuce ejus opiniones emendæ videntur. Novitatis verò ac gloriæ cupidi observationes, quem probabilitatis gradum mereantur, diserte, hoc est, more suo, monstrat Naturalium Consultus Celeberrimus D. FRIDERICUS SCHRADERUS, Patronus jugiter devenerandus, in programmate, quo demonstratum ivit, *quam omni tempore Anatomicorum sensus ob nimiam novitatis & gloriæ cupiditatem deceptus sit. Facile enim nos credere, quæ volumus*, in proverbium abiit. Atqui gloriæ cupidus appetit novitatem: hinc, si vel minima novitatis suspicio appareat, fidem ipsi haudquaquam novator gloriosus denegat, sese, nunc novitatem orbi literario propinandi occasionem nactum, gavisus.

XX. Quod si etiam ad observationem sensualem *experientia* accedat; tunc probabilitati, quam antea in animo sensus generavit, longe majus pondus accedit. Quod enim sensatio suadet, non tanta probabilitate gaudere potest, quam si iteratio istius crebrior observatioque illam firmet. Neque verò propria nostra experientia uno omnis æqualique gradu stare videtur. Etenim, si circa majus quoddam objectum oculus meus vel nudus vel armatus vice plus una observavit quædam phænomena, adstipulari iis cogor tanquam probabilioribus iis, quæ in minutissimis dicuntur reperta. e. g. Probabilior videri potest circulatio sanguinis *Harveo* primum observata, vel papillæ nervosæ inter cutem & cuticulam contentæ, juxta *Malpighium*, quam *Schwammerdamii* phænomena in oculo muscæ curiosius, quam verius, quæ sita.

XXI. Et quemadmodum antea sensus *proprius* cum *alieno* de pondere certabat, sic idem certamen in experientia

aliena & propria observari commode poterit, hoc eventu; ut propria alienam longo post se intervallo relinquat, quippe cui non raro falsi metus subest. Quando scilicet certi satis non sumus, (1) *Num sensu quoque usa sit persona, quæ experimentum instituit?* (2) *Num rei, circa quam experientia occupatur, satis sit gnara, nec ne?* (3) *Num forte mendacis vanaque iactationi adsueverit?*

&c. Quibus experientiæ periculis omnibus si expositus observator fuerit; ne minimam quidem istius inventis fidem adscribere ausim: sin ab uno istum liberum tutò iudicamus; leve: sin à duobus; paulo majus: sin ab omnibus; permagnum pondus illius inventis attribuimus.

XXII. Summum tandem pondus addit & sensationi & experientiæ *physicorum Ratiocinatio*, quæ in causa est, ut res pensitata jam extra dubii aleam sint positæ, assensumq; nostrum certo alliciant.

XXIII. Hoc unicum physicæ probabilitatis gradibus superaddam, quod nempe physici haud ægre interdum ferant, ut in rebus abstrusioribus exquirendis quædam pro lubitu excogitentur hypotheses; dummodo non sint ejusmodi, ut eruditissimæ frigusque movere possint. Has juxta hypotheses solvenda phænomena rite solvuntur. Si verò talium hypothesium plures reperiantur; opus erit quadam libra, ut istas non tam numerasse, quam ponderasse videamur. Cui certe si imponantur, illæ omnino habebuntur ponderosiores, quæ vel omnibus, vel certe pluribus solvendæ difficultatis proprietatibus satisfacere possunt, quam quæ ad paucas modo sese extendunt. Si quisquam scire aveat, quæ hypothesis circa *Systema* seu *Coordinationem mundi* sit vero simillima? *Ptolomæi? Tychonis? Copernici, an Stairii? &c.* Illa verò, respondebitur, cujus ope omnium seu
saltem



saltem plurimorum *φαινόμενων*, quæ per mundum apparent, ratio reddi potest. Hanc juxta libram etiam æstimandæ veniunt abstrusæ illæ de *Æstu maris* hypotheses. In hisce talibus investigationibus suo quoque pondere non destituitur *hypotheseos simplicitas*. Quo enim pauciora ponuntur ad reddendam τῶν φαινόμενων rationem, eo plausibilior est hypothesis, modo illius beneficio omnibus satisfiat.

XXIV. Ponderemus jam probabilitates *in Theologia* N. sese offerentes, à qua ea non omnino exulant, ut potius illi necessariæ esse recte dicantur, ob infideles, quos instruit hæc disciplina, lacte primo pascendos, i. e. dialecticis rationibus alliciendos, & per gradus, tanquam scalam Jacobæam ad cœlestem veritatem perducendos. Quorum mentionem aliquam injeci in Dissertatione mea de *Paulo Διαλεγόμενον*. Ut jam non in medium producam facillimo negotio distinguendos gradus *notitiæ vulgaris*, qua cognoscitur DEus, & *acquisitæ*. Quarum prior comparatur, (α) ex institutione parentum, præceptorum, nec non ex relatione scriptorum, ex consuetudine &c. (β) consideratione hujus universi minus accurata. Hæc verò ingeneratur nobis ex demonstrationibus à posteriori per varias vias. Has ipsas non æque efficaces esse, & hinc ponderis, quod contineant, gradus admittere, fatetur D. JO. ANDR. SCHMIDIUS, non inficiandum seculo Nomen, Præceptor noster ac Patronus pie colendus, dum *Part. I. sect. I. §. 6. Theol. Nat.* ita differit: *Omnes has vias, (quarum undecim ibidem recenset,) non æque efficaces esse dico, cum quedam ex illis moralem saltim ingenerent certitudinem. Et licet hæc alias, imo hoc ipso in casu, sufficiant ad convincendum hominem attentum, & salutis suæ non obstinate prodigum; tamen quedam pluribus, quedam paucioribus Atheorum obje-*

tionibus exposita sunt; quaedam magis, quaedam minus urgent. &c.

XXV. Jam si instituti temporisque permetteret ratio, videndum paululum esset, de famosa illa quaestione morali: *An minorem probabilitatem sequi liceat, etiamsi praesto sit major?* Et quidem in vita communi, ubi non semper evidentibus niti rationibus nos posse putant ad agendum, satis esse dicunt, modo sit verisimilitudo. Sed remittimus curiosum Lectorem ad *Honorati Fabri Apologeticum doctrinae moralis societatis Jesu*, in quo Faber variis dialogis societatis mentem tuetur, *confutat Augustinum de Angel. Vincentium, Baronium, Antonium Marinarium, Prosperum, Faganum. Insuper scripta Fabri Sebastiani, Bernardi Stubrockii aliorumque exhibet.*

XXVI. In *Theologia* multi quoque probabilitatis gradus reperiuntur, sed in iis tantum, quae revelata haut sunt, ac quaestiones *annatae* dicuntur. In revelatis vero non probabilitas, sed firma datur scientia, aequae certa, atque est illa primorum principiorum. Quaestiones *annatae* sunt, *quoties scriptores Theologi occupati sunt in quaestionibus decidendis, de quibus scriptura S. vel penitus filet, vel saltem non omnes exprimit circumstantias.* Ubi necessario variae oriuntur opiniones, tam diversae, ut DEUS aliquis viderit, quamnam ex illis vera sit: bonus vero Logicus, quae earum probabilior, plausibiliorque? Applicatio commodissima videbitur in aliquot exemplis. Tales quippe quaestiones sunt: *De genere peccati, quod Angeli perpetrarunt. De visione beatifica, num ea sit intellectualis nec ne? An fideles se invicem cognituri sint*

sunt in vita aeterna, nec ne? An impii, novissimo die
 viventes, sunt morituri, nec ne? An in caelis ab anima-
 bus separatis, & ab hominibus glorificatis post diem
 judicii mentaliter cognoscatur DEI essentia, immedia-
 te, intuitive, quidditative per essentiam nec ne? &c.
 Dantur etiam notabiles probabilitatis gradus in signis & moti-
 vis credibilitatis, uti vocantur *Scholasticis*, quæque proba-
 bile reddunt, scripturam esse à DEO. Ita sane major est
 probabilitatis gradus in illo argumento, quod à miraculis
 martyrumque deducitur constantia; quam in eo, quod
 antiquitatem scripturæ urget. Hinc *Arnobius l. I. Contra*
Gentes argumento illi, à gentibus objecto, parum inesse pro-
 babilitatis docet his verbis: *Antiquiora, inquitis, nostra*
sunt, ac per hoc fidei & veritatis plenissima. Quasi
verò errorum non antiquitas plenissima mater sit, &
non ipsa pepererit res eas quæ turpissimas Diis notas
ignominiosas concinnaverunt in fabulis. Ante millia
enim annorum decem non potuerunt falsa & audiri &
credi: aut non simillimum veri est, fidem vicinis & fi-
nitimis, quam spatiorum inesse longinquitate distantibus?
Testibus enim hæc; illa opinionibus asserun-
tur, & proclivius multo est, minus esse in recentibus
fictionis, quam in antiqua obscuritate submotis. Sed
hæc fusius exponunt Theologi, quos inter eminet Johan-
nes Musæus Introd. in Theolog. p. 423. seq. Quest.
de Syncret. & script. sac. p. 180. De eccles. l. I. p.
576. seqq. Adde Eduardi Stillingfleet. Epist. ad Deistam;
& eos qui de veritate Religionis Christianæ commentati sunt,
Hennichium, Grotium, Mornæum, Calixtum, Heigelium,
 &



& alios à SAGITTARIO, Præceptore nostro etiam post cineres venerando in *Introd. in Hist. Eccl. Sect. XIV. c. 33. p. 880.* recensitos. Ex eodem fundamento confutari etiam Pontificii possunt, qui summam scripturæ S. autoritatem ab ecclesia petere conantur, quippe cui soli debere scripturam ajunt, quod pro divina habeatur. Undè blasphema alicujus doctoris pontificii vox est: *Scripturam tantum valere, quantum valeant Æsopi fabella, nisi accederet ecclesiæ testimoniam.* Item, *absque ecclesiæ testimonio non posse nobis constare magis, scripturam S. esse divinam, quam Alcoranum Turcicum, in quo etiam ad autoritatem divinam provocetur.* Quæ quam erronea sint, tunc demum demonstrabitur, quando omnia dilucidius deducuntur.

XXVII. In *Jure* res etiam perspicua est. Majorem probabilitatem habet, quod omnes moratiores gentes confueverunt, quam, quod una alterave. Major est probabilitas, justum esse, quod facit vel una gens moratior, justitiæ servantior, quam si innumeri populi, natura servi, barbari, inepti, quidquam faciant. Consentiant juris civilis Doctores, qui allegant exempla, ubi reus absolutus est, si vel unius celebrioris sententiam pro se allegare potuit. Huc pertinent *jus conditionis casualis, doctrina asserationum & de Reditibus vitalitiis, & variae signorum & judiciorum diversitates* apud JCtos. Item quæ *de probatione plena & semiplena* & adhuc inferiore apud Doctores habentur. Neque tamen hæc omnia, ut merentur, investigare, institutio postulat, quæ primas tantum lineas sibi præfixit, cùm DEO & die accuratius ducendas.

XXVIII. De *Medicina* nolo quicquam proferre. Omnes

Omnes, qui rem justo pretio æstimant, majorem inesse probabilitatem fatebuntur modernorum assertis medicorum, quam veterum illorum *Galenii, Hippocratis, &c.* quibus sane mechanismus & anatomia scrupulosior plane fuere incognita. Quod ad observationes eorum anatomicas attinet, ad eas pertinebit, quod supra §. §. à XVI. usque ad XXIV. dictum est.

XXIX. Hujus argumenti etiam foret *Spes, quæ pretio emittitur*, quod ille in comœdia se facturum negat:

Spem, inquit, pretio non emo. Ter. act. 2. sc. 2. Adolph.

Et sæpe tamen hoc fit ab hominibus. Nec imprudenter, cum spes non profus improba, & sumtus pro ejus magnitudine exiguus sit.

XXX. Jam monstrandi essent gradus probabilitatis per omnes *Locos Dialecticos*, in quibus, quomodo *alius alium* pondere suo superet, facile videre est, e. g. *Locus Generis locum Etymologia; locus Definitionis locum Similium ac Comparatorum; locus Cause locum Testimonii; &c. &c.* simulque assignandæ cujusvis vel diminutionis, vel excessus causæ & rationes. Sed cum operam istam una dissertazione, nedum dissertationis prodromo complecti nemo facile possit; alio tempore hæc fusius explicabimus. Quæ occasione simul, quæ Restaurator ille colapsarum literarum egregius *Ludovicus Vives in Instrumento suo Probabilitatis* scitu dignum circa hanc materiam præstiterit, sub incudem revocabimus. Jam delineationi huic **PROBABILITATIS MENSURATÆ** finem imponimus.

Et hæc sunt, **VIR EXCELLENTISSIME,**
quæ ex meotantulo prodire potuerunt ingenio,
quæ quidem, etsi magna Tibi imposita est gravissimarum rerum moles, quam cum summa
Tua laude atq; admiratione omnium sustines;

D

tamen



tamen, cum semel Tibi pulcherrimum duxisti,
multorum suscipere patrocinium; ausus sum
in sinu Tuo reponere, ut foveres ea, Tuoque
vultu beares. Quod si eâ voluntate, qua so-
les in bonas literas esse, hunc meum prodro-
mum receperis; quid addi felicitati poterit?


Sublimi feriam sidera vertice.

Præterea mihi non modo maximam læti-
tiam; sed & ad ipsum tractatum suscipien-
dum vires inspirabis. Ingenium enim meum
stat caditq; vultu Tuo: neque unquam lætius
quidquam mihi contigisse dicam, si has meas
schedulas vel correctione tantum non indignas
judicabis. *Vale!* O ERUDITORUM CORY-
PHÆE. DEUS Te incolumem reipublicæ,
patriæ, orbi literario, bonis denique omnibus
præstet, felicissimumque semper esse pro-
pitio Numine jubeat. Iterum *Vale!*

Goslariæ, ipsis Calend. Februarii.

clō · Iōcc.







Fb 717 16
§

ULB Halle

008 859 426

3





99
I. N. J.
EPISTOLA

AD

VIRVM

INTER MAXIMOS SVMMVM

INTER SVMMOS ERVDITISSIMVM

INTER ERVDITISSIMOS CELEBERRIMVM

ILLVSTREM AC EXCELLENTISSIMVM

DN. GODOFREDVM
GVILIELMVM
LEIBNITIVM

SECVLII

PATRIÆ AVLÆ LITERARVM

INSIGNE LVMEN

QVA SIMVL

PRODR OMVM

MOX SECVTVRI TRACTATVS

DE

PROBABILITATE MENSVRATA

HOC EST

PRIMAS GRADVVM PROBABILITATIS LINEAS
APHORISMIS PHILOSOPHICIS DESCRIPTAS

DAT DICAT DEDICAT

HVJVS ÆTERNATVRI NOMINIS

PERPETVVS CVLTOR

M. JOANNES MICHAEL HEINECCIVS

IN IMPERIALI AD GOSAM CIVITATE

VERBI DIVINI MINISTER.

STANNO DVNCKERIANO.

xrite colorchecker CLASSIC

